



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118529**

§. 55. Nova Liturgia in Angliæ Regnum introducta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

bus hisce articulis, quod Catho-  
 lici Sacerdotibus homines Deo recon-  
 ciliandi potestatem adstruant, &  
 Episcoporum, & Sacerdotum insti-  
 tutionem juris divini esse affirmant.  
 Hunc librum Cranmerus Eduardo Regi  
 nuncupare ausus est. Præterea com-  
 munitio sub duplici specie, necnon sa-  
 cra officia in lingua patria peragi jube-  
 bantur, eo videlicet prætextu, *ne po-  
 pulus, quid in rebus Divinis ageretur, i-  
 gnoraret.* Denique officium Divinum  
 penitus fuit immutatum, novaque pro-  
 posita est liturgia, in qua consecratio,  
 seu potius aquæ, salis, panis, incensi,  
 cereorum, ignis, campanarum, Eccle-  
 siarum, imaginum, Altarium, Crucum,  
 vasorum, Vestium sacerdotalium, ac pal-  
 marum Benedictiones expungebantur.  
 Haud injucundum erit percipere ordi-  
 nem, qui in nova hac Liturgia regnan-  
 te Eduardo typis vulgata servabatur.

## §. LV.

*Nova Liturgia in Angliæ Regno  
 introducta.*

Præprimis sacro officio initium datur  
 a matutinis, & vespertinis precibus,  
 eæque eodem, qui hodie observatur,  
 modo recitabantur, nec tamen ibidem  
 peccatorum confessio, & absolutio, uti

T t 4 nunc

Sæc. XVI.  
 A.C. 1548.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1548.

nunc fieri solet, Officio Divino præponatur, sed duntaxat initium fieri decernebatur ab oratione Dominica, nec etiam, ut hodiedum usus obtinet, in sacræ Communionis ritu præcepta Dei prælegebantur. Ceterum Divini Officii ritus, qui tum præscribebatur, parum distat ab eo, quem Angli hodiedum servant, & *Liturgiam*, seu *publicarum precum Codicem* appellant, nam tum pro Communione inferebantur ea omnia, quæ jam antea circa hanc materiam in quodam edicto observari præcipiebantur; decretum enim erat, ut panis, & vinum aqua mixtum offerretur, ac postea communis oratio pro Universalis Ecclesiæ prosperitate recitaretur, vel etiam occurrentibus aliis vicissitudinibus Deo grates rependerentur pro specialibus donis, quæ Sanctis, Beatissimæ Virgini, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & Martyribus concessit. Insuper infinitæ Dei clementiæ commendabantur defunctorum fidelium animæ, ut tam illi, qui precantur, quam hi, pro quibus preces funduntur, una omnes in magno resurrectionis die ad dexteram Christi Domini federe permitterentur.